



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno CCCCII. ad annum CCCCXXX.

Parisiis, 1644

IX. Vbi Synodus exemplaria Nicaeni Concilii magis ab orientalibus
competenda decreuit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14918

ANNO
CHRISTI
419.
refecte

sanctum & venerabilem ecclesiae Romanae Bonifacium episcopum, vestra * scribere dignetur sanctitas, ut & ipse, quod S. Augustinus statuere dignatus est, deliberare possit, vtrumnam & hoc concedendum sit, an reticendum, hoc est, de appellationibus inferioris gradus. Si ergo adhuc in dubium venit de hoc capitulo, iustum est, ut beatissimae Romanae sedis episcopus informari debeat, si tamen in approbatis Canonibus hoc inueniri possit.

IX.

Aurelius episcopus dixit : Etiam, quæ dudum vestræ caritati intimauimus, nunc patimini exemplaria statutorum Nicæni Concilii, sed & quæ hic salubriter a nostris decessoribus, secundum eiusdem Concilii normam, formata sunt, vel quæ nunc ordinata sunt, a nobis recitari, & gestis inseri. Omne Concilium dixit : Exemplaria fidei & statuta Nicenæ Synodi, quæ ad nostrum Concilium per beatæ recordationis, olim prædecessorem tuæ sanctitatis, (qui interfuit) Cæcilianum episcopum allata sunt, sed & quæ patres, ea exemplaria sequentes, hic constituerunt, vel nunc communi tractatu statuimus, his gestis ecclesiasticis inserta manebunt, * ita (vt superius dictum est) venerabilibus viris Antiochenæ & Alexandrinæ, sed & Constantiopolitanæ ecclesiarum episcopis, scribere vestra beatitudo dignetur, vt exemplaria verissima Concilii Nicæni sub astipulatione literarum suarum dirigant; quo, declarata veritate, ea capitula, quæ in commonitorio præsens frater & coepiscopus no-

ster

BONIFACIUS CARTHAGIN. VI. HONORIVS IMP. 441
P. I. THEODOSIVS

ANNO
CHRISTI
449.
ster Faustinus & compresbyteri Philippus & A-
sellus secum attulerunt, aut ibidem reperta, a nobis
firmabuntur: aut si non inueniuntur, collecta Sy-
nodo, de hoc in sequenti tractabimus. Daniel no-
tarius Nicæni Concilii professionem fidei vel e-
ius statuta recitauit in Concilio Africano.

SYMBOLVM NICÆNV M.

X.

Credimus in vnum Deum, Patrem omnipo-
tentem, omnium visibilium & inuisibilium condi-
torem. Et in vnum dominum Iesum Christum, fi-
lium Dei, natum de Patre, vnigenitum, hoc est,
de substantia patris, Deum de Deo, lumen de lu-
mine, Deum verum de Deo vero, natum, non fa-
ctum, vnius substantiæ cum Patre, quod Græci di-
cunt ὅμοούσιον, per quem omnia facta sunt, siue quæ
* in cælis, siue quæ in * terris. Qui propter nos ho-
mines, & propter nostram salutem, descendit, &
incarnatus est de Spiritu sancto, & homo factus,
passus est, & resurrexit tertia die. Ascendit in cæ-
los, sedet ad dexteram Patris, inde venturus iudi-
care viuos & mortuos. Et in Spiritum sanctum.
Eos autem qui dicunt, Erat, quando non erat:
& Priusquam nasceretur, non erat: & Quia ex nul-
lis existentibus factus est, vel ex alia substantia, vel
natura, dicentes mutabilem & conuertibilem fi-
lium Dei; hos anathematizat catholica & apostoli-
ca ecclesia.